

M  
S. 920<sup>3a</sup> 4<sup>o</sup> 2

9  
2

G. q. 106. a.

**ELEGIA**  
 QVA OBITVM  
 VIRI  
*PRAENOBILISSIMI AC DOCTISSIMI*  
**FRIDERICI LVDOVICI**  
**SCHMVTZII,**  
*PRAECEPTORIS PAEDAGOGII BER-*  
*GENSIS FIDELISSIMI,*

DIE VI. CAL. MART. M DCC XXXXIV.

PIE DEFVNCTI

MOESTI DEFLENT

**COLLEGAE PAEDAGOGII**  
**BERGENSIS.**

---

MAGDEBVRGI,

LITTERIS CHRISTIANI LEBERECHE FABRI, PRIV. TYP.



Imus cum latitat memori sub pectore luctus,  
Ob iuuenis mortem concitus atque viri;  
Obtigit, o nobis nuper iunctissime SCHMVTZI,  
E vinculis abitus corporis ille TVVS.  
Hinc obducta recrudescit crescitque cicatrix:  
Ter feriunt pauidæ pectora fida manus.  
Quid quæris? quo iam solemur tristitia corda,  
Quodque oculos subito tergeat imbre graues.  
TE mens nostra sibi viuum sub imagine fingit:  
Indeque mœstitiæ grata medela datur.  
Scilicet ante suas facies viridisque cateruæ  
Præsto TE nostrum quilibet esse videt,  
Nunc etiam puro ex animo conferre petita  
De vera nostri verba salute gregis,

Ingenuas artes illum ore docere fideli,  
TEque cauere, vago ne pede tangat eas,  
Dogmata nunc fidei vitæque salubria iussa  
Pandere, nunc precibus sollicitare deum.  
Inter cælicolas medius diuosque receptus,  
Pro iuuenum pergis flore rogare pio.  
Iure sodalitio, quod habent duo regna Iehouæ,  
Iunctus adhuc nobis es, propiorque deo.  
Quare, quam nostri geris, o collega beate,  
Vtilior nobis curaque maior erit.  
Hæc uti tristitiam minuunt, sic additur illis  
Inculcata fides, integra vita TVA,  
Exitus optatus vitæ finisque laborum,  
Aeterna ista dei dona secuta salus.  
Præ nobis iter is, veræ quo detur amissum  
Sarcire, & fieri grande salutis opus.  
Quæ TIBI sedissent, nec TV nec mundus habebat,  
Optima erant eius mentis onusque TVA.  
In squalore trahi vitam luctuque sciebas,  
Conformem innato si genio quis agat.  
Iam TV diffidens laudi, sapientiæ inani  
Atque voluptati iustitiæque TVAE  
Ante reformidata volas ad vulnera Christi,  
Illorumque tenent ora reclusa manus.

Non animus nunc huc motus nunc fluctuat illuc,  
Nec transuersum vnguem vis, nec abire potes.  
O quam omnis purum labis poenæque timendæ  
Ante sui Christus TE stitit ora patris?  
Conscia mens intus rerum pacata TVARVM,  
Nuncia lætitiæ certa perennis erat.  
Omnis eo spectat vita, vt gaudere fauore  
Niminis vsque queas, Numen amore TVO.  
Hoc extrema dies vitæ TE velle probauit,  
Et quam Ioua spei fecerit ille fatis.  
Sanguinis innixus merito certusque, beatum  
Christi vulneribus TE fore, iussus abis.  
Cognita iam dudum ora reconciliata tueris,  
Sanguine iam cingunt ferta parata caput,  
Iamque referre pedem mortalia in arua negabis,  
Nosque breui TEcum tempore crede fore.



78 M 350

ULB Halle 3  
001 592 122




56.

Petro V









LEGIA  
 QVA OBITVM  
 VIRI  
 ISSIMI AC DOCTISSIMI  
 CI LVDOVICI  
 HMVTZII,  
 RIS PAEDAGOGII BER-  
 FIS FIDELISSIMI,  
 MART. M DCC XXXIV.  
 E DEFVNCTI  
 MOESTI DEFLENT  
 AE PAEDAGOGII  
 ERGENSIS.

AGDEBVRGI,  
 ANI LEBERECHT FABRI, PRIV. TYP.

AK

